

Bibliothèque numérique


medic@

**Streck, Albert-François-Floridore -
candidat / Bordenave, Toussaint -
président. - De exfolatione ossium
praecavenda, vel acceleranda**

1770.


***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi,***

Cote : ms 2343, n°33



CELSISSIMO AC POTENTISSIMO
P R I N C I P I C A S I M I R O,
 E G M O N T I I P I G N A T E L L I,
 E G M O N T I I E T Z U T P H A N I Æ C O M I T I,
 G R A T I A D E I, J U L I A C I, G U E L D R I Æ, E T B I S A C H I Æ D U C I,
 G A R I T U M E T S. I M P E R I I P R I N C I P I,
 H I S P A N I Æ P R I M Æ C L A S S I S M A G N A T I, O R D I N I S A U R E I V E L L E R I S E Q U I T I,
 R E G I O N I S E T C O M I T A T U S H A N N O N I Æ P A R I,
 N E C N O N R E G I S C H R I S T I A N I S S I M I,
 E X E R C I T U U M L E G A T O G E N E R A L I, &c. &c.
 O F F E R T, D I C A T E T V O V E T, O B S E Q U E N T I S S I M U S
 A L B E R T U S - F R A N C I S C U S - F L O R I D O R U S S T R E C K.

Kk





ALBERTUS FRANCISCUS FRIDRICHUS STRICK
OPTER T. DICAT ET VOLET, OBSERVATISSIMUS
EXERCITUM REGATO GENERALI, &c. &c.
NEC NON REGIS CHRISTIANISSIMI
REGIONS ET COMITATUS HANNONIE PARI
MERITIS TIBI CLASSIS MAGISTR. GABRIEL AURELIANUS REGIT.
CAROLUS ET S. LOUIS PRINCIPALIS
LEGAT. DE JULIACI, GUELDRIE, ET BISAGHIE DUC.
EGMONTH ET AUBURNAN COMIT.
EGMONTH ET AUBURNAN COMIT.
PRINCIPALIS CASIMIRO.

KK



DE
EXFOLIATIONE

OSSIIUM PRÆCAVENDA, VEL ACCELERANDA.

THESES

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

OSSA in origine gelatinosa, sensim ac sensim solidiora, in statu perfecto durissima, partibus mollibus fulcrum, visceribus plerisque propugnaculum, eleganti apparatu ad varios motus egregiam facilitatem, toti denique corpori firmam dispositionem, figuramque diversimodè ordinatam præstant. Hos usus hîc & illîc offert miranda ossium compages; at si quodlibet os seorsim spectetur, admirationem

A

2

non minùs excitat, modò cavitatibus diversâ profunditate apprimè insculptis, eminentiis modò plùs minùs-vè elevatis, stupendoque artificio ita dispositis, ut vel partibus mollioribus tantùm inserviant, vel munia reciproca cum ossibus vicinis adimpleant; hinc tanquam totidem vestes, aut hypomochlia ad directiones musculorum, actiones & vires conferunt; hinc ligamentorum dispositiones, articulorum varietates & robur, nec non innumeri motus validi & expediti. Huic tam utili quam curiosæ expositioni supersedere non sinit instituti ratio; investiganda potiùs intima ossium structura.

§. I.

SCRUTATOREM naturæ curiosum facilè fugeret vera ossium fabrica, nisi in vario statu tentaretur ipsius consideratio; sub diversâ enim dispositione apparet, unde non minor inter Anatomicos controversia, æquo partium examine concilianda.

PARTES gelatinosæ crassiores intrâ membranas involutæ, prima dant ossium rudimenta; vasorum actione vitali sensim indurescunt, appostaque ossea stamina dant fibras in ossibus longis ut plurimum parallelas, in ossibus verò planis radiatim dispositas, quæ successu temporis, interposito novo glutine cretaceo vel terreo in lamellas mutantur. Jure ergo fibris durioribus ossa componi dicuntur, quarum diversâ ordinatione efformantur substantiæ tres: harum una compacta, altera cellularis seu spongiosa, tertia reticularis audit. In omnibus ossibus annotantur duæ priores substantiæ, quantitate & dispositione diversæ; compacta exteriorèm ipsorum partem vestit, cellularis verò interiorèm ut plurimum efformat. Intrâ majorum ossium cava reticularis substantia tantùm conspicitur.

SUBSTANTIAM compactam lamellis sibi invicem appositis constari edocuit doctissimus Malpighius (a); equidem facilè distinguuntur in ossibus aëri à longo tempore expositis, exsiccatis, aut etiam calcinatis; imò ipsâ-met exfoliatione demonstrantur. Has lamellas ossiculis transversim affixis ad

in vicem retineri opinatus est Gagliardy; at horum ce officu-
lorum existentia desideratur, imò negatur. Mediante glutine
interposito, mutuo contactu, fibris communibus lamellas
adhærere probat potius cognita partium structura.

LAMELLÆ interiùs rariores, exteriùs densiores, con-
tiguae licet, spatiola inter se admittunt vesiculis medulla-
ribus conferta; vasculis sensibilibus pervia, quandoque canali-
culata, quibus oleum medullare distribuitur; hinc olei stasis
intrà lamellas, hinc ossium elasticitas & robur. Textum
vasculosum tenuiorem, in primâ ætate apparentem, nullâ arte
postea huc usque demonstratum, in exfoliationibus tamen
conspicuum, intrà lamellas admittendum, probant fortium
inspectio Anatomica & observationes Pathologicae.

VARIO modo in variis ossibus disponuntur lamellæ
substantiam compactam efficientes. Ossâ oblonga, magnis
cavitatibus prædita, substantiam habent in medio lamellis,
ubique contiguis & firmissimè inter se adhærentibus com-
pactam: lamellæ interiores in decursu successivè secedunt,
versusque ossis cavum procedentes mutuo occurrunt, inter
se committuntur, diversimodè incurvantur, ita ut ad extre-
mitates adsit unica ferè lamella compacta exterior, sicque
efformant exiguas cellulas lamellis & fibris à mediâ parte
derivatis productas (b),

Ossa quibus nulla insignis cavitas, lamellis componun-
tur, quarum non nullæ per omnem suam longitudinem ab
invicem distant, deinde per varias flexuras sibi occurrentes,
exiguos producant cancellos, inter se communicantes, ma-
gnitudine figuræque diversos, ut in majorum ossium extre-
mis. Eadem ergo ubique lamellæ, unicuique discrimen,
quod in majoribus ossibus contiguae compactam substantiam,
in minoribus verò separatæ cellularem offerant. Non minus
etiam inde robur; faciliùs enim frangi substantiam com-
pactam quàm cellularem probat experientia.

(a) Anatomie Plantar. Lond. 1689, in-fol. p. 12.
(b) Vide De Lamellarum numero & dispositione accuratam Clop-
tonis Havers descriptionem. Cap. 4, n. 31, 32, 33.

DISCREPAT magis substantia reticularis : non lamellis ; sed fibris diversimodè intricatis , per ossis cavum decurrentibus conflatur in medio ; versùs extrema substantiæ cellulari non abfimilis , fibris latioribus seu lamellis , cellulas ampliores facit : medullæ ossium sustinendæ , à concussu protegendæ dicatur.

IN interioribus ossium recentium cavis reperitur substantia pinguis , oleosa , mollis , quæ in majoribus cavitatibus congesta , firmior est & subflavescens : Medulla dicitur. Oleum illud medullare intrâ vesiculas membranaceas inter se communicantes , vasis sanguiferis innumeris & minimis perfusas , ab extremis arteriarum deponitur , morâ perficitur , resorbatur nutritioni inservit , lamellas ossium penetrans ipsorum elasticitati confert , sicque à fragilitate tueretur. Oleum tenuius , subrubellum , falsum , rarò concrefcens , intrâ cellularem substantiam deponitur , succique medullaris nomine innotescit ; à minori morâ , minori densitate , sanguineâque exhalatione repetenda hujus - ce olei ab altero differentia. Cæterum membranæ medullaris sensibilitatem à celeberr. Duvernai assertam evincunt experimenta quàm plurima à clariss. Hallero proposita.

COLOR ossium non idem est pro unâ quâque ætate. Alba & paululùm subrubella apparent in infantibus ; albescent magis & etiam subcærulescent in adultis ; in senioribus minùs alba colorem lividum præ se ferunt. Varius etiam iste color in diversis ejusdem ossis partibus ; albus in substantiâ compactâ , minùs albicat , vel etiam subrubeus est , in extremitatibus ; eâdem ratione minùs albescent ossa textu spongioso confecta ; quod quidem à minori lamellarum densitate , majorique vasorum numero repetendum.

OSSA exteriùs ambit membrana densa , plurimis conflata lamellis , quarum internæ duriores magis resistunt & substantiæ ossis firmiter adhærent ; vocatur Periosteum. Ab ipsâ procedunt vasa arteriosa & venosa à vasis vicinis oriunda ; ex his quædam ossium exteriora tantùm alluunt ; alia in intimâ substantiâ terminantur ; majora denique quædam per ductus peculiare medullam adeunt , ibique distribuuntur.

5

An successivæ lamellarum periosteï indurationi ? An partium structuræ, vasorum distributioni, succique nutritii secretioni ossium formatio tribuenda ? Utraque forsan concilianda opinio ; posteriori tamen favent ossium fabrica, observationesque Physiologicæ & Pathologicæ (a).

§. I I.

OSSA cum ætate compacta & durissima, plurima nihilominus habent cum ossibus junioribus communia. Multa equidem vasa compressa partim oblitterantur, at plurima liquido nutritio pervia, ipsius præsentiam semper admittunt ; sicque licet appositâ materie cretaceâ indurentur ossa, iisdem tamen legibus vivunt, eâdemque actione in ipsis perficitur requisitus humorum circuitus. Existit ergo in ossibus textus vasculosus quo nutriuntur & conservantur in statu sano, quo etiam in statu morbofo varias subeunt mutationes, sive ut oriatur morbus, sive ut redintegretur sanitas : hinc unâ parte ossis affectâ, pars vicina sana agit, ut prior vel restituatur, vel expellatur : hinc varii ossium morbi ; hinc etiam quanquam solida, ad priorem flexibilitatem ossa posse revocari probant experimenta, quibus ablatâ materiâ cretaceâ, mollia & fibrosa fiunt (b), aut etiam morbi ossa emollientes (c).

UT in partibus mollibus, partes denudatæ suppurantur, & gangrænâ affectæ, à sanis vicinis expelluntur ; sic in ossibus pars denudata sæpius afficitur, aut, si carie sit tentata, vel solis naturæ viribus, vel iisdem, arte adjutis, ab osse sano separatur.

Os denudatum sanum quandòque servatur, si statim post

(a) Vid. Dissertationes quas hac de re scripsit Clar. Actus Præses. In libro cui titulus : *Mémoires sur les Os, publiés par M. Foucheroux de l'Académie Royale des Sciences*, in-8. Paris, 1760.

(b) Comment. Reg. Scient. Acad. ann. 1758. Diss. Clar. Herissant.

(c) Comment. ejusdem Acad. ann. 1753. Diss. Clar. M. Morand sur le ramollissement des Os. Et Courtial, Obs. 112.

læsionem à contactu aëris defendatur ; tunc facile curatur ; & præcavetur exfoliatio , saltem sensibilis. Sic enim vasorum extrema nundum exsiccata liquidis manent pervia , fluido vitali irrorantur , organicæque actione extensa partibus vicinis sensim ac sensim conjunguntur.

MINUS feliciter res cedunt in plerisque casibus ; nam cum ossa periosteum circumjecto quâcumque de causâ denudantur , jam destruuntur plurima vasa ad os tendentia ; aëri exposita tenerrima vasorum oscula constringuntur , actioni fiunt inepta , sicque vasis destructis pars , saltem in superficie externâ , vitali influxu orbatur , moritur , nec recrefcere potest cum partibus vivis. Sæpius ergo separari debet pars cujuslibet ossis denudati & Exfoliatio ipsi ut plurimum necessaria ; hinc conamen naturæ molientis per vasa viva vicina mortui & corrupti separationem à suppositâ parte sanâ.

SEPARARI etiam debet pars ossis quâcumque carie affecta ; partes enim sanæ superpositæ coadunari non possunt cum partibus emortuis ; aliunde absque illâ separatione malum partes ossis sanas magis ac magis infestaret , morbusque in deteriorem sortem verteretur.

PRÆCIPUAM sanè operam in hisce casibus ad curationem præstat Natura : sibi sufficiens propriis viribus sæpius agit ; sed quid arte adjuta valeat , hîc inquirendum abs re non erit.

UT os sanum denudatum absque Exfoliatione , saltem sensibili , curetur , ab intempestivâ applicatione cujuslibet liquidi acrioris , nimium exsiccantis , spirituosî , caustici , aut longiori aëris contactu , abstinendum. Carptum linteum siccum sæpius sufficit ; at si medicamenta adhibeantur , topica emollientia , resolventia , mel rosaceum aut decoctum vulnerarium melle rosaceo mixtum , simulque rara deligatio , anteponantur. Sic in junioribus præsertim , in senioribus rariùs , vasa post læsionem nundum exsiccata in statu sano servantur , ad extensionem disponuntur , moxque ab ipso osse prodeuntia colorem subrubellum referunt , dantque substantiam vivam , quæ cum partibus vicinis coadunata

7
consolidationem operatur. Ut præcaveatur Exfoliatio, ossis perforationem suadebat *Belloste* in vulneribus recentibus osse nudum alterato (a); sed tunc ut inutilis ossis perforatio habeatur; admittenda tantum, si post longius temporis spatium os non tegatur.

In hac curatione Exfoliationem, saltem insensibilem, semper admittunt nonnulli (b), & eam inæqualis ossium superficies aut pori majores manifestare videntur: de eâ tamen nihilominus dubitant alii (c), si quidem mutationi in osse necessario productæ potiùs tribuenda.

Si fortè ossa denudata leviter afficiantur, alterataque ossis superficies Exfoliationem necessariam indicet, actio vatorum suppositorum quantum licet promovenda, ut ipsorum motu, & continuâ quasi arietatione (d), pars ossis emortua separetur & expellatur. Ad hunc finem spirituosæ & exsiccantiæ olim laudabantur; sed meliùs conducit levior, & propius iterata ossis terebratio, mediante apice trepani perforativi dicti facta, quâ vasa viva, incumbente tegmine libera, emergunt, & sic quandoque sine Exfoliatione sensibili tuberculos seu carnem vivam & rubram emittunt, quæ cum partibus vicinis coalescit, vel si Exfoliatio vitari nequeat, vasa inter lamellas media, sic liberiùs pulsantia, lamellas corruptas incumbentes fortiùs expellunt; squamulæque emortuæ separatæ, recrescit ex ipso osse substantia quæ os iterum tegit, novique periostei officio fungitur. Hujus methodi à Clarissimo *Belloste* propositæ (e), utilitatem confirmant observationes (f). Cæterum perforatio plus minusve profundè pro densitate partis corruptæ celebranda; dein applicandum carprum linteum vel siccum, vel decocto

(a) *Chirurgien d'Hôpital*, tom. 1, p. 84.

(b) Vid. Dissert. Clar. M. Tenon de Exfoliatione ossium, in Act. Reg. Scient. Acad. ann. 1758 & 1760.

(c) *Mém. de l'Académie Royale de Chirurgie*, tom. 1, in-4.

Précis d'Observations sur les Exfoliations des os, p. 300.

(d) Gerard. Van-Swieten, Comm. in Aphor. Boerhaavii, §. 252, n. 1.

(e) Ibid. tom. 1, p. 84 & suiv.

(f) Ibid. *Mém. de l'Acad. Royale de Chirurgie*, tom. 1.

emolliente aut vulnerario cum melle rosaceo imbutum ; raro deligandum ; sicque pro conditione partis modò præcavebitur , modò accelerabitur Exfoliatio.

PARS ossis affecta, si densior, simplici terebratione difficiliùs expelleretur ; ad scalprum tunc potiùs confugiendum ; imminutâ enim densitate , virès potentiores exerunt vasa subjècta, sicque saltem Exfoliatio acceleratur. Ossibus longis majoribus , profundè affectis , juvat potiùs terebratio per trepanum ad cavum ossis usque , tunc enim minùs resistens pars separanda , citiùs expellitur (a).

VACILLANTE ossis parte secernendâ , nocerèt violenta aut frequens partis succussio ; parùm juvaret perforatio ; non magis utile scalprum ; expectandum, resque idè viribus naturæ committenda. Si tamen Exfoliationi obstarent luxuriantes carnes vicinæ , removendæ sunt , aut etiam adurendæ.

OSSIBUS carie affectis , pro variis cariei indole , gradu extensione , diversa competit curandi norma *. Cariei siccæ , benignæ , sæpiùs sufficiunt perforatio , scalprum , scalpellum incisiorum ; eâdemque lege fit Exfoliatio. In carie humidâ , malignâ , ossa spongiosa infestante , sanies putrida vascula subjècta erodit , separationi obstat , malumque propagatur , nisi efficaciori medicinâ deleatur ; hinc exsiccantia potentiora , spirituosa , balsamica , tinctura myrræ & aloës , ipsemet euphorbii pulvis , cauterium denique actuale in usum vocanda , hisque præsertim auxiliis Exfoliatio promoveretur. Cæterùm , si adsint vitia interna , pro variâ ipsorum crassi , specifica adhibeantur.

(a) *Mém. de l'Acad. de Chirurg. Ibid.*

* Exfoliationem ossium tantùm exponentes , de carie speciatim hic differere non censuimus.



*Has Theses, DEO JUVANTE, & præside M. TUSSANO
BORDENAVE, Artium & Chirurgiæ Magistro,
Scholarum Præposito, Professore Regio, Regiæ Chirurgiæ
Academiæ pro commercio extraneo Secretario,
Scientiarum Academiæ Rhotomagensis, nec non Florentinæ
socio, tueri conabitur, ALBERTUS-FRANCISCUS-
FLORIDORUS STRECK, Abbavillensis, Artium Liberalium
Magister, olim in Castris Regiis primarii Chirurgi Adjutor,*

*PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,*

*Die Sabbati trigesimâ Junii, à sesqui-secundâ post meridiem
ad septimam, anno R. S. H. 1770.*

PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.

Typis P. AL. LE PRIEUR, Regii Chirurg. Collegii Typographi,
1770.

